DECANI ET SENIORIS COLLEGII MEDICI RVDOFFI VVILHELMI CRAVSII,

PHIL. ET MED. DOCT.
PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.

Propempticum Inaugurale

DE EFFICACI INFLVXV ASTRORVM IN CORPVS HVMANVM.

JENÆ,
Literis KREBSIANIS.



VNde *alterationum* & *mutationum aëtheris* & *aëris*, tantus, quantum in corporibus exerunt, *Symboliſmus* proveniat, hactenus inquiſivimus, & invenimus eum ab aëtheris & aëris interni vitalis, in ſpiritibus & humoribus reperiundis, cum ætheris & aëris externi identitate optimè deduci poſſe, ſic, ut, cum cœleſtia agunt in ætherem, & hic in aërem, hi ambo conjunctim in ſpiritus & humores corporis noſtri agant, ſintque adeò aëther & aër *interpretes communes inter ſpiritus, humores noſtros*, & *aſtralem alterationem.*

Probant hunc ſymboliſmum *deliria*, quæ ſanguinis & ſpirituum humani corporis motum aëris viciſſitudinibus obnoxium eſſe ſatis manifeſtè probant; confirmat id *Epilepſia*, ordinariè circa novilunium in diſpoſitis, interdum etiam ad ſingulas Lunæ quadras recurrens. Sic *Carolus Piſo* procelloſis imminentibus tempeſtatibus *hyſtericarum* paroxyſmos exacerbari annotavit. In morbis *ſeroſis*, ſi non inferendis, tamen diſponendis & exacerbandis magnam habere vim aſtrorum influxus, medici omnes norunt, ſic, ut *arthriditem* in iis, qui gravius aliàs hoc morbo afficiuntur, plerumque *circa ſolſtitia* redire, nemo inficietur. Et hæc omnia ex *ætheris* & *aëris* varia alteratione, mutatione & viciſſitudine optimè deduci poſſunt, utpote qui corpora humana ambiendo, & ſe intrò recipiendo, poroſque ſubeundo, præterea reſpiratione ad ipſos pulmones delati, partim propter varia ſua contenta, miaſmata & effluvia,

pars

partim propter motum ab astris aetheri, & ab hoc, ac vento aëri impressum, spiritus & humores, atque hinc totum corpus, pro variâ sua constitutione & qualitate variè afficere, mutare, & lædere possunt.

Hinc *Veris* tempore, ubi sanguis commotus proprio quasi nisu se defæcare & ad peripheriam corporis pravos humores, in dispositis ad efflorescentias cutaneas, protrudere solet, illi, qui pravis humoribus pleni sunt, in variolas, scabiem, varos, aliaque mala similia incidere solent. *Aestatis* tempore, quando radii solares verticem nostrum fortius petunt, & atmosphæra multis effluviis sulphureis, seu igneis copiosis scatet, quæ particulas oleosas sanguinis rarefaciunt, exaltant, & ebullire faciunt, salinas acuunt, biliosas in motum rapidiorem cient, & magis elasticas reddunt, adque caput alliciunt, febribus gravissimis, ardentibus, malignis, spirituum turbulentiis & deliriis fores apperiri solent amplissimæ.

Quando *Hippocrates 3. aph. 20. & 22. vere & autumno insanias* evenire asserit, quid aliud, quæsò, indicat, quàm *atheris mutationes* ad excitandos morbos, & speciatim *maniam* in dispositis conferre. Quis nescit circa *dies caniculares*, ubi per poros magis apertos *serum*, quô aliàs particulæ salino ♀reæ sanguinis diluuntur & temperantur, largius transpirant, sanguisque quasi incoquitur & fervidior redditur, atque hinc spiritus magis sulphurei, volatiles & feroces evadunt, *manias*, aliaque gravissima *deliria* oriri.

Si *frigidior* aër temporibus anni comitatus in excessu peccat, sicque spiritus in muniis suis exsequendis turbantur, & sæpè ex improvisò, inprimis quando mutatio aëris â calidiori & ficciori in frigidiorem & humidiorem, ac vice versa subitò contingit, adeoque insensibilis transpiratio nimium turbatur, intercipitur vel alteratur, planè obruuntur, quid aliud ex hisce caussis, quàm humorum stagnatio, corruptio, gravissimaque spirituum hu-

læsio oriri, & hinc *febres, vertigines, convulsiones*; aliaque incommoda, & maxima mala corpori induci possunt.

Quod *Austrinas* constitutiones corpora *humectare*, & morborum feracissimas esse *Hippocrates 3. aph. 5.* ait, id quotidiana experientia satis confirmat. Quod enim aër humidus non solùm externas, & immediatè sub cute positas partes, eas humectando afficiat, sed transeat quoque, se insinuando ulterius in ipsa interiora, id testantur inter alia lassitudines, defluxiones, & catarrhi ferocissimi; nemoque forsan, tàm perfectæ sanitatis invenietur, qui imbribus diutius continuantibus non vexetur jam recensitis, & aliis â sero & humiditate oriundis symptomatibus.

Nebulosum & *nubilosum* aërem varia in corporibus humanis mala producere & excitare, nemo forsan inficiabitur; observamus enim toto die, dum atmosphæra crassis & gravibus ejusmodi exhalationibus referta est, ut & *ante nivis descensum*, premi organa respirationis, & quia sanguis tunc, ob admistas istas crassiores particulas, circulationi cordis minus auscultat, *asthmaticos* tunc difficillimè spirare, & pessimè se habere.

Nec *venti* omni noxa carent; Quod enim aër etiam morbificus existere possit ratione motus nimii, â ventis impetuosis impressi, testantur *catarrhi*, quibus ob commotos â ventis humores ansa subministratur. Imò dum ipsorum vehementiâ aër, inprimis frigidus, aut aliàs pravus poris cutis altiùs impellitur, eosque nimium constringit, & coarctat, sicque transpirationem sufflaminat, sudoremque coërcet, it. dum venenosis, aliisque noxiis effluviis refertus est aër â vento agitatus, & impetuosè in os, nares, aures, pulmones, ut & in oscula vasorum ad superficiem corporis exporrectorum incuneatur, innumera & sævissima mala oriri omnes norunt medici, & proinde non immeritò etiam hoc nomine aërem in morborum præcautione & curatione attendunt.

Ex

Ex hactenus recensitis patescit, quàm variè aër in corpora humana agere, eaque afficere, alterare & lædere possit. Quid igitur mirum? quod *valetudinarii*, qui jam dum labili nimis utuntur sanitate, aëris mutationes tàm exactè sentiant, ita, ut vix Barometrum futuras aëris mutationes, tempestates, pluvias, tonitrua, imò ipsam quoque cæli serenitatem imminentem tàm exquisito ac accurato ostendat indice, quàm quædam subjecta humana, quæ nunc insvetâ anxietate, lypothymiis, capitis dolore, vertigine, vomitu, diarrhæis, sternutationibus, pruritu cutis & artuum, punctionibus ac lancinationibus hinc inde in diversis corporis partibus, aliisque pluribus symptomatibus vexantur, donec illa adversa aëris qualitas in meliorem permutata fuerit.

Quod autem illi maximè aëris mutationes persentiant, qui *vulnera* aliquando cruenta, *contusiones*, *fracturas* & similia perpessi sunt, &, licet omnibus ritè consolidatis sani & robusti videantur, nihilominus immanes lamententur cruciatus imminentibus aëris notabilioribus mutationibus, caussa haud malè â medicis in *consolidatione* solutionum istarum tàm contigui quam continui quæritur. Cum nempe in dictis unitatis solutionibus nunquam tàm accurata dislocatarum in partibus fibrarum, vasorum, & tubulorum collocatio & adaptatio iterum fieri â chirurgis & natura possit, sed tubuli & vasa carnium interdum vel coarctata relinquantur, & angustata, interdum planè occludantur, &c. hinc facilè colligere possumus, humoribus, & ipsorum circulatione ab ætheris & aëris variâ constitutione in qualitate & motu variatis, tubulos illos vel planè ad permittendos, vel ad debitè transmittendos spiritus & sanguinem ineptiores reddi, sicque stagnatione suâ dolori, pruritui aliisque malis ansam dare posse.

Sed abrumpendum esse jubet brevitas nimia temporis concessi, qua propter properamus, expositurі curriculum vitæ & studiorum Candidati medicinæ clarissimi & dignissimi

ARNOLDI FRIDERICI BEIERI.

Natus est in hoc Musarum celebri Emporio Anno MDCLXXIII. d. XIV. Martii. Patre, Viro Nobilissimo Excellentissimo & Consultissimo D. ADRIANO BEIERO, tunc Illustris Regiminis Aulici & Curiæ Provincialis Advocato, hodiè Professore Institutionum publico Ordinario, Facultatis Juridicæ & scabinatus Assessore, Collega & Compatre nostro pl. honorando. Matre, DOROTHEA SABINA, JOHANNIS MAURITII FRIDERICI, Serenissimo Duci FRIDERICO WILHELMO quondam in Aula Altenburgensi à secretis b. m. filia. Horum cura in fidei Christianæ & bonarum literarum fundamentis, quam primum infantilis admittebat ætas, egregie profecit. Cumque & ingenium bonum & inclinationem ad studia ex Parentum voto ostenderet, scholæ oppidanæ juxtim & domesticis concreditus Præceptoribus, imperata horum facilè admisit, & expectationi Parentum ita respondit, ut cum ipsa adolescentia ablegandus aliò videretur.

Hilarior fama de præclara eruditione & singulari docendi dexteritate M. JOH. TÖPFERI, facilè pellexit eum, ut Numburgum concederet, scholamque Senatoriam eò usque frequentaret, donec ab illo ipso Præceptore studiis Academicis idoneus haberetur.

Adpulit igitur ad academiam Patriam vernante Anno octuagesimo nono, sceptra tenente JOH. ANDR. SCHMIDIO, tum Logices & Philosophiæ primæ, hodiè S. S. Theol. D. & in Incluta Academia Julia Professore, ut celebratissimo, ita meritissimo: Qui & in matriculam studiosorum recepit, & Scholis mathematicis physicisque curiosis, quod debita cum gra-

tia-

tiarum actione agnoscit, & publice commemorari petiit, interesse per triennium penè permisit.

Licet autem recordatio Avunculi quondam sui, Nobilissimi Joh. Arnoldi Friderici, Phil. & M. D. ac P. P. in hac Academia b. m. excellentissimi fomes ipsi ad studium Medicum erat, regia tamen via per philosophicos tramites ad istud progredi constituit, sectatus primò philosophiæ doctores excellentissimos, Joh. Pavl. Hebenstreit, in Logicis, tàm privatim, quàm publicè viam ipsi monstrantem; Postmodum Venerabilis senis, Dn. Casparis Posneri, Phys. P. P. vestigia legit, qui eum ad confinia Medicæ Artis felicissimè deduxit.

Delatus isthuc Præceptores nactus ut nobilissimos & Excellentissimos, ita fidelissimos, Georg. Wolfg. Wedelium, Med. D. Com. Palat. Cæs. Prof. publ. famigeratissimum, & Consiliarium ac archiatrum Saxonicum, ex cujus publicis privatisque lectionibus, juxta cum veris solidisque fundamentis insignem artis ipsius peritiam hausisse lætus gratusque commemorat, D. Günther. Christoph. Schelhammeri, & D. Joh. Hadr. Slevogtii, Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices per successionem Professorum excellentissimorum, quorum prælectiones cathedrarios, demonstrationes in Cadaveribus tàm hominum, quàm brutorum anatomicas, excursiones item botanicas cum præclaro studiorum suorum emolumento frequentasse gratulatur sibi, illis verò gratias agit quam maximas. Nec dememinit, licet beatè defuncti D. Jac. Wolffii Professoris paulo antè Extraordinarii, quem Institutiones Mœbianas & rem Botanicam auscultavit explicantem. Mea quoque ope privatim usus est.

Transacto sicdomi quiquenniô, alio etiam sole calescentes invisere placuit terras, superiori anno nonagesimo quartô Hamburgum hinc abiit, inde ad Varniacam Academiam delatus, Hospitio Nobiliss. & Excellentissimi Bernh. Barnstor-



ri, Med. D. & P. P. Urbisque Physici, ut dexterrimi Præceptoris, etiamnum cum veneratione commemorandi, nec non D. SCHAPERI, P.P. & Archiatri ducalis Meklenburgici conversatione per annum usus integrum.

Delato interim ad Athenas Cimbricas nostrô SCHELHAMMERO, Kiloniam abiit, pristinæ informationi insistens. Revocatus autem à Parentibus mense Septembri, Anno 1695. redux usque huc adhæsit nobis, donec ex voluntate Parentis præmia studiorum prensare constituit. Quæ nuper à Facultate nostrâ modestè petiit.

In numerum Candidatorum receptus, in examinibus ad votum respondit. Quare cum ad diem XX. Decembr. habiturus sit sub præsidio SCHLEVOGTIANO disputationem inauguralem, DE LOCHIIS CUM DOLORE RETENTIS, Magnificum Rectorem, Academiæ proceres & Professores, omniumque ordinum hospites, & Medicæ artis fautores honoratissimos, perofficiose Collegii nomine invito. Jenæ d. XX. Decembr. Anno M DC XCVII.

